Sedulius, Caelius; Adam, von Sankt Viktor; Servius [Beitr.]; Battmann, Erhard [Beitr.]: Carmen paschale - Sequentia de sancto Laurentio
[s. l.], [um 1478-1481]




De sancto laurentio martire Sequentia

Prunis datum admiremur laureatum veneremur
laudibus laurentium. Veneremur cum tremore
deprecemur cum amore martirem egregium. Accusatus non
negavit sed pulsatus resultavit in tubis ductilibus. Cum
in prunis voto plenus exultaret et sonaret in divinis
laudibus. Sicut corda musicorum tandem sonum dat so-
norum plectri ministerio. Sic in cheli tormentorum melos
christi confessorum dedit huius tensio. Deo mente quia
fide stat invictus inter ictus minas et incendia.
Spes interna vox superna consolantur et hortantur
virum de constancia. Nam thesauros quos exegit
per tormenta non acquirit tibi sed laurentio. Hoc in
christo coacervat huius pugna christus servat tri-
umphantis premio. Nescit sanctus hoc decoris nec
in prunis quod ab oris fide tractet dubia. Neque
cecus lumen daret si non eis radiaret luminis pre-
sentia. Fidei confessio lucet in laurentio non ponit
sub modio statuit in medio lumen coram omnibus.
Juvat dei famulum per tortus sui baiulum assum quasi
ferculum fieri spectaculum angelis et gentibus. Non
abhorret prunis volvi qui de carne cupit solvi
et cum christo vivere. Neque timet occidentes corpus
sed non prevalentes animam occidere. Sicut vasa
figuli probat fornax et eorum solidat substantiam
Sic et ignis hunc assatum velut testam solidatum
reddit per constantiam. Nam cum vetus corrumpatur alter

Interlinear gloss above "coacervat": simulat / congregat

Marginal gloss: plectri tr. i. gubernaculum navis / vel lingua i. chorda vel ... ultra / linguae ...